UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Divi Thomae Aqvinatis Doctoris Angelici Opera Omnia

Summa diligentia ad exemplar Romanæ Impreßionis restituta

Complectens Tertiam Partem Summæ Theologiæ. Cum Commentariis Reuerendiss. D. Thomæ de Vio Caietani Cardinalis S. Sixti, Et Opvscvlis Eivsdem In tres Tomos distinctis

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Venetiis, 1593

8. Vtrum baptismus ęqualem effectum habeat in hominibus baptizatis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-72797

Visual Library

¶ Et hæc ſint dicta ꝑ dignitate baptiſmi: quantum enim ſpectat ad euentũ, Chriſto mortuo patuit ianua cæleſtis tã baptizato quã circunciſo.

rit baptizato ianuam regni cæleſtis, inquantum incorporat eũ paſſioni Chriſti, uirtutem eius homini applicando.

Ad secvndvm Dicendũ, ꝙ quando paſſio Chriſti nondum erat realiter perfecta, ſed ſolum in fide credentium, baptiſmus proportionaliter cauſabat ianuæ apertionem, non quidem in re, ſed in ſpe: baptizati enim tunc decedentes, ex certa ſpe introitum regni cæleſtis expectabant.

Ad tertivm dicendũ, ꝙ baptizatus non eſt obnoxius morti, & pœnalitatibus uitæ præſentis, propter reatum perſonæ, ſed propter ſtatum naturæ: & ideo pp hoc non impeditur ab introitu regni
G cœleſtis, qñ anima ſeparatur a corpore per mortẽ, quaſi iam perſoluto eo, quod naturæ debebatur.

¶ *Super Quæſtionis ſexageſimænonæ Articulum octauum.*

IN art. 8. aduerte, Auctorem in art. 3. recitatiue loqui de lepra Conſtantini: dico autem hoc, quia nullius auctoritate conſtat, Conſtantinum mundatum a lepra in baptiſmo: tum quia geſta Sylueſtri (ex quibus hoc uidetur haberi) incertum habẽt Auctorem, ut patet in cap. ſancta Romana diſt. 15. tum quia nullus ſiue Chriſtianus, ſiue gentilis hiſtoricus inuenitur hoc ſcripſiſſe, ut teſtatur Platina in uita Marci Papæ: tum præcipue, qa Ambroſii auctoritas obſtat, dum in oratione de obitu Theodoſii expreſſe dicit, Conſtantinum in ultimis conſtitutum baptizatum fuiſſe, quòd longe diſtat ab hoc, ſcilicet ꝙ in principio ſuæ conuerſionis fuerit baptizatus. Et propterea narratio de lepra Conſtantini non eſt aſſertiue probanda.

4. d. 4. q. 2. ar. 3. q. 1. & 2. Et d. 18. q. 1. ar. 3. q. 1. co.

Articvlvs VIII.

Vtrum baptiſmus habeat in omnibus æqualem effectum.

AD octavvm ſic proceditur. Videtur, ꝙ baptiſmus non habeat in omnibus æqualẽ effectum. Effectus enim baptiſmi eſt remotio culpæ: ſed in quibuſdam plura peccata tollit, quàm in alijs. nam in pueris tollit ſolũ peccatum originale, in adultis autem etiam peccata actualia, in quibuſdam plura, in quibuſdã uero pauciora. non ergo ęqualẽ effectũ habet baptiſmus in omnibus.

¶ 2 Pręt. Per baptiſmum conferũtur homini gratia & uirtutes: ſed quidam poſt baptiſmum uidentur habere maiorem gratiã, & perfectiorem uirtutem, quã alii baptizati. non ergo baptiſmus habet æqualem effectum in omnibus.

¶ 3 Præt. Natura perficitur per gratiã, ſicut materia per formã: ſed forma recipitur in materia ſecundum eius capacitatem. cũ ergo in quibuſdam baptizatis etiam pueris, ſit maior capacitas naturalium quàm in aliis, uidetur quòd quidam maiorem gratiam conſequantur, quàm alii.

¶ 4 Præt. Quidam in baptiſmo conſequuntur nõ ſolum ſpiritualem ſalutem, ſed etiam corporalem: ſicut patet de Conſtantino, qui in baptiſmo mundatus eſt a lepra: non autem omnes infirmi corporalem ſalutem conſequuntur in baptiſmo. baptiſmus ergo non habet ęqualem effectũ in omnibus.

Sed contra eſt, ꝙ dicitur Epheſ. 4. Vna fides, unum baptiſma. vniformis autem cauſæ eſt uniformis effectus. ergo baptiſmus habet æqualem effectum in omnibus.

Respon. Dicendum, ꝙ duplex eſt effectus baptiſmi, unus per ſe, & alius per accidens. Per ſe quidẽ effectus baptiſmi, eſt id, ad quod baptiſmus eſt inſtitutus, ſcilicet ad regenerandum homines in ſpiritualem uitam: & hunc effectum ęqualiter facit in oĩbus, qui ęqualiter ſe habẽt ad baptiſmũ. unde
F quia omnes pueri æqualiter ſe habent ad baptiſmum (quia non in fide propria, ſed in fide eccleſię baptizantur) omnes æqualem effectum percipiunt in baptiſmo. Adulti uero, qui per propriam fidem ad baptiſmum accedunt, non æqualiter ſe habent ad baptiſmum: quidam enim cum maiori, quidam cum minori deuotione ad baptiſmum accedunt: & ideo quidam plus, quidam minus de gratia nouitatis accipiunt: ſicut etiam ab eodem igne accipit plus caloris, qui plus ei appropinquat: licet ignis quantum eſt de ſe, ęqualiter ad omnes ſuum calorem effundat. Effectus autẽ baptiſmi per accidẽs, eſt ad quem baptiſmus non eſt ordinatus, ſed diuina uirtus, hoc in baptiſmo miraculoſe operatur: ſicut ſuper illud Ro. 6. ut ultra non ſeruiamus peccato, dicit gl. * Non hoc præſtatur in baptiſmo, niſi forte miraculo ineffabili creatoris, ut lex peccati, quæ eſt in membris, prorſus extinguatur. & tales effectus non æqualiter ſuſcipiuntur ab omnibus baptizatis, etiam ſi cum æquali deuotione accedãt: ſed diſpenſantur huiuſmodi effectus, ſecundum ordinem prouidentiæ diuinæ.

* eſt gl. Aug. li. 1. de pec. merit. & remiſ. ca. 3. tom. 7.

Ad primvm ergo dicendum, quòd minima gratia baptiſmalis ſufficiens eſt ad delendum cuncta peccata. unde hoc non eſt propter maiorem efficaciam baptiſmi, quòd in quibuſdam plura, in quibuſdam autem pauciora peccata ſoluit: ſed propter
H conditionem ſubiecti, quia in quolibet ſoluit quotcumque inuenerit.

Ad secvndvm dicendum, quòd hoc, quòd in baptizatis maior, uel minor gratia apparet, poteſt dupliciter contingere. uno modo, quia unus in baptiſmo percipit maiorem gratiam, quàm alius, propter deuotionem maiorem, ut dictũ eſt: * alio modo, quia etiam ſi æqualem gratiam percipiant, non æqualiter ea utuntur: ſed unus ſtudioſius in ea proficit, alius per negligentiam, gratiæ Dei deeſt.

* In corp. art.

Ad tertivm dicendũ, ꝙ diuerſa capacitas naturalium in hominibus, non eſt ex diuerſitate mẽtis, quæ per baptiſmum renouatur, cum omnes homines eiuſdem ſpeciei exiſtens, in forma conueniant, ſed eſt ex diuerſa diſpoſitione corporum. Secus au-
I tem eſt in angelis, qui differunt ſpecie: & ideo angelis dantur dona gratuita, ſecundum diuerſam capacitatem naturalium: non d autem hominibus. D. 316.

Ad qvartvm dicendum, quod ſanitas corporalis non eſt per ſe effectus baptiſmi: ſed eſt quoddã miraculoſum opus prouidentiæ diuinę.

Articvlvs IX.

Vtrum fictio impediat effectum baptiſmi.

AD nonvm ſic proceditur. Videtur, quòd fictio non impediat effectum baptiſmi. Di
K cit enim Apoſtolus Gal. 3. Quicumque in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis: ſed omnes qui baptiſmum Chriſti ſuſcipiunt, baptizantur in Chriſto. ergo omnes induunt Chriſtum, quod eſt percipere baptiſmi effectum: & ita fictio non impedit baptiſmi effectum.

¶ 2 præt. In baptiſmo operatur uirtus diuina, quæ poteſt uolũtatem hominis mutare in bonũ: ſed effectus cauſæ agẽtis nõ po-

¶ *Super Quæſtionis ſexageſimænonæ. Articulum nonum & decimum.*

IN articul. 9. & 10. multa dicenda sũt ſpecialiter pro doctrina decimi. Et primo de ſenſu concluſionis, ſecundo de neceſſitate, tertio de modo apud Auctorem, quarto de ratione illius modi, & demum comparabitur aliis modis. Senſus in primis concluſionis eſt, non de euentu, ſed de effectu baptiſmi recedente fictione. quod ideo notandum eſt: quoniam non

4. d. 4. q. 2. ar. 1. q. 1. ad 3. & q. 3. ar. 2. q. 2. per to. Et d. 12. q. 2. ar. 1. q. 3. ad

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN